

omnibus capellis et pertinentiis suis post mortem venerabilis fratris nostri Petri Papiensis episcopi, plebem de Cassinis cum omnibus capellis et pertinentiis suis et plebem de Rorta¹ similiter ecclesie vestre² duximus concedendas. Volumus autem, ut predictus electus a venerabili fratri nostro G(alduino) Mediolanensi archiepiscopo apostolice sedis legato in diaconum et presbiterum ordinetur³ et de manu eius munus consecrationis percipiat⁴ et tam ipse quam successores ipsius ei et successoribus suis tamquam metropolitans suis debitam obedientiam exhibeant et honorem, sicut alii suffraganei Mediolanensis ecclesie facere noscuntur. Decernimus ergo, quod nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre aut ablatas retinere minuere aut quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra (f. 77) et illibata [con]serventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et Mediolanensis archiepiscopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

5. Victor IV. nimmt das unmittelbare Kloster Pegau in seinen Schutz und bestätigt dessen Güter und Rechte (f. 287'). 1162 Mai 2. — Cremona.

Victor episcopus servus servorum dei dilectis⁵ filiis G. abbati monasterii sancti Iacobi in Bigauia eiusque [fratribus] tam presentibus quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum. Licet⁶ omnibus ecclesiis nostrum patrocinium debeamus impendere, illis tamen, que ad ius beati Petri et ecclesie sue pertinere noscuntur, studiosius nobis oportet⁷ adesse et eas a pravorum incursibus sedis apostolice presidio defensare. Eapropter dilecti in domino filii, quoniam monasterium, quod ad honorem sancti Iacobi Guibertus quondam Saxonie gentis illustris comes in Merseburgensi parrochia in loco predii⁸ sui quod Bigauia dicitur pro sua suorumque salute construxit

1) Vielleicht das heutige Rocca oder Ritorta bei Allessandria. 2) cod.: 'nostre'. 3) cod.: 'ordinent'. 4) cod.: 'percipiant'. 5) cod.: 'dilectissimis'. 6) cod.: 'liceat'. 7) cod.: 'oporteat'. 8) cod.: 'presidii'.